SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS SILESII.

Epigrammatum Octernio decimussextus.

Magnifico & Generoso Viro

D. CHRISTOPHORO SIENIUTÆ

In Łáchowce, Sienjutow, &c. &c.

Domino & Fautori colendo.

dedicatus.

Ad Lectorem.

Hæc quoq; si non sunt ad gustum Carmina facta,
Da Lector tineis, & meliora cane.

Magnifico & Generoso

D. CHRISTOPHORO SIENIVTÆ

in Łáchowce, Sienjutow, &c: &c.

Domino & Fautori suo.

S. P.

SI cujus unquam adventum & conspectum deside-ravi hactenus, Magnifice Domine SIENIUTA, tuum certè desideravi: ut te Virũ tantum in Christi Ecclesia à mundo quidem contemptibili, à Deo autem Optimo Maximo honorifica, ex facie cognoscere possem, quem famâ & auditione jam dudum probè cognoveram. Antè biennium spes erat certa tui ad nostram Synodum veniendi, quâ spe mirificè exhilarabar, salutare enim te ac de felici tuo ad nos advẽtu gratulari animus mihi gestiebat. Verùm quia hac spe delusus fui (tua enim magna,, quibus tùm Lublini necessariò occupatus eras, negotia, non permisêre vota utriusq; nostrum ad suum perducere effectum: nunc etiam quoniam de eadem spe decido, tui unquam conspiciendi, ideo constitueram in animo quoquo modo me in tui notitiam & amorem insinuare, promptissimamq; voluntatis meæ erga te tam insignem Virũ significationem declarare. Quod nunc facio, conscriptũ à me, pro suscepto more meo, Octernionem Epigrammatum tibi offerendo, & humillimè consecrando. Quem ut heroico animo, ac vultu hilari unà cum authore illius Mag. D. T. addictissimo suscipias, vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

S, P.

Ad Magnificum & Generosum Virum
D. CHRISTOPHORUM SIENIUTAM

Famâ note mihi, facie non note, celebri
Et veteri ducens nobilitate genus,
Suscipe pauca modò vultu, SIENIUTA, *sereno*
Carmina, quæ donat nostra Thalia tibi.
Carmina de rebus variis, ad docta Virorum
Pectora scripta, pius quæ mihi junxit amor.
Sunt ea parva quidem: legimus tamen hæc quoq; gratè
A magnis quondam sumpta fuiße Viris.

Ad Illustrem, Magnificum & Generosum Virum
Dominum IACOBUM Sienienium Palatinidem
Podoliensem, Dominum & Mecænatem suum
colendissimum.

Ex magnis heros SIENIENI *heroibus orte,*
De tot Germanis unice Frater, ave.
Dignos laude Viros, quos nostra Thalia celebret,
Te quoq; præteritum non sinit eße mihi.
Haud tu degener es Patris, quem fata tulerunt,
Quo vix res habuit publica nostra parem
Inter custodes Patriæ, Regisq; Senatum,
(Terra Palatinos quos vocat ista Viros)
Adnumeratus erat, sani non futilis author
Consilii, cujus sunt documenta, fuit.
Nec tibi consilium prudens, nec copia rerum,
Nec scite fandi lingva diserta deest.
Vidimus eloquii currant tibi quanta, IACOBE,
Flumina, quale tuo nectar ab ore fluat.

Hinc eductus eras ad magna comitia Regni
Sæpè; hinc jura tibi tradita sæpe fori.
Sed quis connumeret monumenta insignia cuncta,
Magnæ virtutis, magne IACOBE, *tuæ?*

Ad Magnificum & Generosum Dominum ANDREAM MOSCOROVIUM, Ecclesiæ Czarkoviensis Patronum & Fautorem suum.

CUi rara, & major prudentia contigit annis,
Cui genus à prisca nobilitate venit;
Et cui sunt cultæ à pueris Heliconis alumnæ,
Ingenioq; valens, eloquioq; potens;
Has ô ANDREA, *dotes, hæc munera confer*
Ad laudem summi, qui dedit ista, Dei.
Publica res patriæ, magis at Respublica CHRISTI
Ex donis capiat commoda multa tuis.
Non operæ, nec tu numis, nec parce cruori,
Si sit opus nostris invigilare bonis.
Sic te grex CHRISTI, *sic* CHRISTUS *amabit & ipse,*
Atq; tuis votis semper amicus erit.
Longa tibi saturæ donabit tempora vitæ,
Pòst dabit in Regni vivere parte sui.

Ad tædas Nuptiales.
Magnifici & Generosi Viri Domini ANDREÆ LUBIENIECII, Sponsi:
Et nobilissimæ Virginis SOPHIÆ RUPNIOVIÆ SPONSÆ.
Epigramma.

NEscio quo fato toties, LUBENECIA *proles,*
ANDREA, *repetis connubiale jugum.*

Tertia non longo tibi tempore ducitur uxor,
Quæ SOPHIÆ, *Grajo nomine, nomen habet.*
Fato ambæ periêre malo, tibi prole relictâ,
In pignus Socii perpetuale thori.
Spondeo, ne dubita, nec sum tibi falsus aruspex,
Iungitur hæc fato jam meliore tibi.
Hanc promittit Hymen stabili tibi fædere nuptam,
Omine despondet pronuba Iuno bono.
Vt tecum totos feliciter impleat annos,
Et sit perpetuo fædere juncta tibi.
Applaudit tua tota domus, tibi fausta precantur
Præcipuè fratres, pectora fida, tui.
Quiq; tui vero flagramus amore rogamus,
Vt non durum habeas in tua vota Deum.
I pede felici, tædas iterato jugales
Faustiter, ac felix ad tua tecta redi.
Et SOPHIA *insignis, tecum pulcherrima formâ*
Virgo, fortunæ sit comes illa tuæ.
Ipse Deus, cujus vos estis pignora cara,
Dirigat ad nutus omnia vestra suos.

Ad nobilem, doctrinâ & pietate præstantem Virum
Dominum Christophorum Lubienecium.

O *Fili patrii non degener oris & ortûs.*
CHRISTOPHORE, *æterni præco diserte Dei.*
Quæ te, quæ tantum dejecit ad ultima virtus
Præstantem generis nobilitate virum?
Prælustres Regum poteras volitare per aulas,
In patria poteras magnus & esse tua.
Et tamen exemplo patruorum, almiq; parentis,
Hæc calcanda Dei projicis ante pedes.

Quàm Dux aut Præses, mavis CHRISTI *eße Minister,*
Quod decuit CHRISTUM *non tibi turpe putas.*
Perge age, sic petitur cœlum, sic itur ad astra,
CHRISTOPHORE, *hac verus sorte paratur honos.*
Mortale est, quod dat Mundus, mortalis ut ipse est;
Quod tu das famulis, CHRISTE, *perenne bonum est.*

Tumulus Magnifici & Generosi Domini IOHANNIS POTOTII, de armis Sreniavva.

IANUS *natali splendore* POTOTIUS *ille*
Nuper in hac recubat contumulatus humo.
Rege sub ingenti STEPHANO, *juvenilibus annis*
Gnaviter aulæ operam, militiæq; dabat.
Grandior hinc factus, dignâ sibi Conjuge ductâ
PALCZOVVSKA, *antiquâ quæ fuit orta domo.*
Produxit facie præstantes quinq; puellas,
Nec minùs unigenam sustulit ille marem.
Inde tamen multas neptes, multosq; nepotes,
Vidit, quo vixit tempore, dante Deo.
Is quoq; non rarò Legati munus obibat,
Iudicis & veri munere functus erat.
Et, quod præcipuum est, superat quod cætera cuncta
Puræ semper erat Religionis amans.
Immò gaudebat patrono Ecclesia tanto,
Hîc cui fundavit providus ille locum.
Hinc etiam longæ produxit tempora vitæ,
Hinc illi rerum copia justa fuit.
Atq; ita postquam illi foret octuagesimus annus
Iam propè defunctus, funere mersus obit.
Hicq; sub hac à se constructa fornice justi
Expectat summum Iudicis ille diem.

Ad MATTHIAM TVVARDOCLEBUM, authoritate, & pietate conſpicuum Senem, Kiſelinenſem Miniſtrum, affinem ſuum.

ET vigili ſtudio, multisq; fideliter annis,
Qui ſervis CHRISTO *vir venerande tuo.*
Tu penè es ſolus veterum de claße relictus,
Iſtud qui tecum ſuſtinuêre jugum.
Et quanquam nimio ſtudio, nimioq; labore
Fractus, donari jam rude dignus eras.
Eße tamen ſtudio non vis immunis ab omni,
Quod potes, id præſtas, ſedulitate tuâ.
Det tibi, MATTHIA, *vires, viridemq; ſenectam*
Ipſe Deus, cujus munere munus obis.
Poſtq; exantlatum curſum vitæ atq; laborum
Te ſimul in regnum transferat ille ſuum.

Ad Magnificum & Generoſum Dominum IOHANNEM Moscorovium de Moſcorovv.

NOſter hyperboreis DOMINO *dùm ſervit in oris,*
Et lautè IANUS *vivit, & in precio eſt.*
Nec fines patrios nec fidos curat amicos,
Eſt etiam oblitus fors laris ipſe ſui.
Si te non tangunt hæc omnia, te tua tangat
Nupta precor fidei tradita, IANE, *tuæ.*
Vt nos poſthabeas, fidiſſima pectora, fratres,
Hanc tu non debes poſthabuiße tamen.
Ergo rem, caußasq; tuas præcide morandi,
Tolle omnes, quæ te detinuêre, vias
IANE *veni, plures reditum nec differ in horas,*
Damna moræ in tantis rebus habere ſolent.

In natalem Magnifici & Generosi Domini Andreæ Kochticii, Ducatuum Oppoliensis & Raciboriensis Capitanei, Mecænatis sui honorandi.

Sic est; Andreæ redierunt Festa, quotannis
Andreas noster quæ celebrare solet.
Quem dum fortè ligant alii, pro more vetusto,
Fautorem versu tu mea Musa liga.
Non homines, sed quadrupedes vincire feroces
Convenit, à nobis sit procul iste furor.
Versibus adde tuis pariter mea Musa, potenti
Pro Fautore tuo, fervida vota Deo:
Alme Pater, nostros qui cernis ab axe labores
Et geris in dextra tempora nostra manu.
Vtile si fuerit, nec non cum laude, quod opto,
Fautori redeant annua festa meo.
Tristibus exemptus fatis, variisq; ruinis,
Adnumeret vitæ tempora longa suæ.

In Librum Magnifici & Generosi Viri Domini Adami Goslavii à Bebelno; quo refutantur quædam Bart. Kekermanni, ex ejus Systemate Theologico.

Ista Kekermanni Scriptis commissa quibusdam,
Quæ grave Thejologûm Systema nomen habent.
Si lubet, & mens est, sacras dignoscere lites,
Mente velim Lector candidiore legas.
Hîc quoq; quàm constans & inexpugnabile verum,
Non ex difficili cernere fortè potes.
Quàm nil proficitur formas se vertat in omnes,
Dissona qui vero stabiliisse studet.

Quod verum est, semper verum est, nec dissidet illud,
Seu scriptura uti, seu ratione velis.
Debile sed falsum est, ac ut se destruit ipsum,
Defendi nullâ sic ratione potest.
Eße quod affirmo verum fortaßè videbis,
Hoc vigili Scriptum si breve mente legas.
Tu qui scripturis, GOSLAVI, *& acumine dextro*
Scripta KEKERMANNI *diluis ista modo,*
Et reliqua istius quæ sunt commenta farinæ
Protractus studio deînde refelle pari.

In Librum Precum, reverendi Viri Domini IOHANNIS Stoinii, concionatoris Ecclesiæ Racoviensis.

Sunt multæ, variæq; preces à pluribus ortæ,
CHRISTUM *non unâ qui ratione colunt.*
Sanctius at nihil est, nihil est divinius usquam,
Quas conscripsisti, IANE *diserte, tuis.*
Namq; cient animos, devotaq; pectora reddunt,
Doctis commemorant nota, rudesq; docent.
Suppeditant fidei rationes, firmaq; rerum
Argumenta, quibus vincitur ipse Deus.
Nil est in votis hominum, quod non sit in illis,
Seu hodierna velis, sive futura bona.
Ætas omnis habet, sexusq;, statusq;, quod optet;
Est aptus cunctis aureus iste liber.
Quicunq; es pietatis amans, orasq; libenter,
Has indefeßâ mente revolve preces.

Ad IOHANNEM MOSCHOVIUM Pannonium Generum meum gratulatio, pro agnita & recepta ab eo veritate divina, cujus etiam gratia captivus fuit.

 Mos-

MOSCHOVI, *quod in has habitatum veneris oras,*
Mißis cognatis omnibus, & patria.
Non hæc caußa fuit, cumulandis quod regio isthæc
Vtilior fluidis & magis apta bonis.
Hæc in natali poteras acquirere regno,
Inq; tuis poteras consenuiße focis.
Sed quia (quod raris hoc pravo contigit ævo)
Hîc preciosa Dei gemma reperta tibi est.
Gemma voluntatis divinæ, cujus amore
Captus cognatos negligis, & patriam.
Hîc divinarum tibi tanta scientia rerum
Contigit, & tantus cognitionis apex.
Vt te ipsum servare queas, aliosq; docendo,
Æternæ vitæ suave secutus iter.
Es felix hac parte, & adhuc felicior istâ,
Quod tibi contigerit vincula dura pati.
Magna manent fidos Doctores præmia Cæli,
Sed te Martyrii, IANE, *corona manet*

Ad Præstantem generis nobilitate, doctrinâ & pietate Virum Dominum Iohannem Morstinium.

SI *qua domus sanctæ Fidei ratione,* IOHANNES
MORSTINI, *est certè vestra beata domus.*
Tanta per hanc regno facta est accessio CHRISTI,
Vt vix ista parem poßit habere domum.
Innumeros fratres dedit, innumerasq; sorores,
Hæc domus; ô ex hac parte beata domus!
Vester avus veræ fuerat virtutis amator,
Et simul Aöniæ non rudis artis erat.

Edidit egregios natos, natasq; venustas,
Ex casto fidi fœdere conjugii.
Omnes unanimi CHRISTUM *pietate colentes,*
Salvificæ Fidei quos pia cura tenet.
Inter quos generis vestri supereminet & author,
CHRISTOPHORUS, CHRISTI *pulchra corona gregis.*
Ille decem eductis vobis in luminis auras,
Femineæ sortis pignoribusq; tribus;
Nulli operæ, nulli curæ, nec sumptibus ullis
Parsit, ut excoleret vestri aciem ingenii.
Te verò externas jussit quoq; visere terras,
Aptus ut ad CHRISTI *verba docenda fores.*
Deniq; quantum opus est ad alendæ munia vitæ,
Cuiq; sui tantum contulit ille boni.
Sic vos instituit divini in dogmate verbi,
In vera CHRISTI *detinuitq; fide.*
Nec vos dissimiles in cara prole fovendo
Estis, præclari digna propago viri.
Iam tot in æde Dei neptes, cernitq; nepotes,
Quot sperare ausus vix fuit iste Pater.
Det Deus, ut plures videat, summiq; per orbem
Diffusum videat lætus ovile Dei.

Ad nobilem Virum Dominum PETRUM STOINIUM, Ministrum Ecclesiæ Czernichov.

PETRE, *Ministerii non ultima gemma,* STOINI,
Virgineis meritò connumerande choris.
Et divinarum tanta est tibi copia rerum,
Totos scire sacros ut videáre Libros.
Hactenus est & vita tibi tàm puriter acta,
Ut jam semideus tu videaris homo.

O te felicem, qui multis, PETRE, coronam
Præripis, & pleno vadis in astra gradu!

Ad SALOMONEM PALUDIUM SILESIUM, Generum meum, Ministrum Racoviensem.

Dogmata commißum tibi sancta docendo, PALUDI,
Erudis in vera qui pietate gregem.
Hanc, tibi divino quæ munere contigit, omni
Exorna Spartam sedulitate tuam.
Devotas superadde preces, multumq́; legendis
Invigila scriptis, codicibusq; sacris.
Sic procedet opus, sic ob tua munia fies
Clarus & ante homines, clarus & ante Deum.

In Bibliothecam IOHANNIS STOINII.

Docte, nec invideo, miror magis, integra, IANE
Quòd tua tot capiat Bibliotheca libros.
Sunt tibi Theologi varii, veteresq́; noviq́;,
Queîs de divinis scribere cura fuit.
Sunt quoq; Philosophi varii, veteresq́;, noviq́;
Res quibus humanas scribere cura fuit.
Sunt etiam Historici varii, veteresq́;, noviq́;,
Martia bella quibus scribere cura fuit.
Est & Doctorum non parva Scholastica turba,
Queîs doctas artes scribere cura fuit.
Adde, quòd & multi tibi sunt, mea cura, Poëtæ,
Queîs variis numeris ludere cura fuit.
Cetera Scriptorum, numerum subducere quorum
Est labor, ingenii sunt monumenta tibi.
Pauperis est numerare libros: mihi curta supellex,
Authorum; angusta est res mea namq; domi:

Felix cum vivis qui non modò vivis, at idem
Cum tot defunctis mutua verba seris.
Si vis, IANE, *tuis tecum colluder ut umbris,*
Nostra tuos capiat Bibliotheca libros.

Hymeneus, in honorem nobilis & Generosi Domini STEPHANI Przypkovvsky, Sponsi: & pudicissimæ Virginis ANNÆ Stoiniæ, Sponsæ.

QVàm PRZYPKOVI *ardes, & quæ nunc, auspice fato,*
Ducitur in thalamos ANNA *pudica tuos.*
Illius magni proles est cara parentis,
Cujus multa loquax fama per ora volat.
Quem gentis commendat honos, spectataq; cunctis
Commendat virtus, eloquiiq; lepos.
Digna patris soboles, magnum patris ornamentum,
Quo nil quicquam unquam carius ipsus habet.
Eripis heu dextrum PRZYPKOVI *patris ocellum!*
Dimidium cordis matris inique rapis!
Quis patris blando curas sermone levabit?
Quis mæsto suaves promet, ut antè, sales?
Matris adhærebit lateri quæ fidior ulla,
Attenta omnigenum semper ad obsequium?
Si forma in pretio est, si gratia, si pudor ullus,
Si sal, si virtus, si quid ubiq; boni;
Hoc, non tàm grandi, quam pulchro corpore in uno,
Delegêre sibi tàm bona multa locum.
Ad te autem certatim abeunt, sedem omnia apud te
Figunt; & tecum non nisi vivere amant.
Invidet hæc aliquis tibi fors ex ordine vestro,
Indoluitq; tibi tàm bona multa dari?

At quia, dante Deo, STEPHANE, *hæc tibi juncta puella est*
(Ipsius ductu namq; ea juncta tibi est)
Vtere sorte tuâ felix! tua vota secundet
Author conjugii Iova favore suo.
Nexibus irruptæ mentis vos colliget, una
Aura sit in bino corpore, & una fides.
Nec minùs optatâ faciat vos pace beatos,
Progenie vestram multiplicando thorum.
Posteà perfunctos Nelidæ munere Vitæ,
Ducat sanctum ambos in penetrale suum.

Ad nobilem & reverendum Virum Dominum Christophorum STOINIUM Ministrum Ecclesiæ HOSCHCENSIS Amicum suum intimum.

QVi fere es Patronus nunc, & Pastor ovilis,
Finibus in vestris quod modò CHRISTUS *habet.*
CHRISTOPHORE, *haut cessa totis incumbere remis,*
Vt CHRISTI *placidum per mare navis eat.*
Nec parce impensis, ulli nec parce labori,
Confisus curæ, præsidioq; Dei.
Ille secundabit tua vota, & suggeret ille
Quæ domui fuerint usibus apta tuis.
Quodq; tui summa est voti, post ultima vitæ
Fata tuæ, reddet multiplicata tibi.

Ad Thalamum

Magnifici & Generosi Adolescentis NICOLAI SUCHODOLII sponsi, & nobilissimæ ac pudicissimæ virginis CZAPLICIÆ ALEXANDRÆ filiæ Magnifici ac Generosi D. GEORGII CZAPLICII, sponsæ.

DIvino, NICOLAE, tui fore fœdera lecti
Fausta, quod uxorem ducis habesq́; parem.
Sive genus spectes, nihil est illustrius illo,
Non est inferior nobilitate tua.
Sive annos cernas, nihil est juvenilius illâ,
Hic minor ætate est, ut decet, illa tua.
Seu sortem videas, est illa Parentibus orta
Ditibus, hinc illi dos numerosa satis.
Vincula seu fidei advertas, quæ maxima res est,
In vera par est relligione tibi.
Quodsi respicias vitam, si denique mores,
Non est in toto pectore mica doli.
Hinc, NICOLAE, tui fore spondeo fœdera lecti
Fausta, quod uxorem ducis, habesq́; parem.

Ad Virum Doctissimum & humanissimum D. LAURENTIUM STEGMANNUM Rectorem Racoviensem amicum suum svavissimum.

QVI nunc in scholico, LAURENTI, pulvere sudas,
Et terres pueros, virgea sceptra gerens,
Quamvis heu! crambem recoquas tu semper eandem
Sisyphiusq́; licet sit labor iste tuus.
Suscepti ne te capiant tamen ulla laborũ
Tædia, tàm durum quæ comitantur opus.
Publica res isthinc, isthinc Ecclesia Christi
Incrementa suæ sperat habere rei.
Parva licet terris, sed cœlo maxima merces,
Te manet, & vanus non erit iste labor.

Ad Nobilissimũ D. IOHANNEM STOINIUM.

QVod te commemorat crebrò mea Musa STOINI,
Et sine te crescit pagina rara mihi.

Hoc meus ingenuus facit ardor, Amice, tuusq́;
Candor, & eloquii gratia summa tui.
Noster amor, fratrum decus ingens, magna, STOINI,
Materies vatum, vive valeq́; diu.

Ad nuptias Viri præstantis eruditione D. SAMUELIS MORI, Conrect. Racoviensis Amici sui optimi.

CAre, vagæ nostræ moderator, MORE, *juventæ,*
Ducitur in thalamos quæ modò Nupta tuos,
Haud humiles ortus adeò sibi vendicat illa;
Namq́; est præcipui filia in urbe viri.
Cujus avus fuerat divinæ Præco salutis,
Vir scriptis præstans, eloquioq́; gravis.
Qui numerat reliquos ab utroque parente propinquos,
Quorum & nunc magna est copia, multa seges.
Omnes præstantes, omnes virtute decori.
Instructi verâ cognitione Dei.
Inter quos fulgent fidissima triga STOINI,
Qui sacra cum plausu dogmata ritè docent.
Nec minùs ingenuis est prædita moribus illa,
Cultu imbuta Dei, relligione, fide.
Contulit illi etiam formam natura venustam,
Quæ res fœminei gratia rara chori est.
Denique non cedit fortunæ in rebus, amatis
Mirâ germanis sedulitate suis.
Tu persolve Deo tali pro conjuge grates
Ac tanto felix utere, MORE, *bono.*
Vivite Nostoreos animis concordibus annos,
Et post cœlestes scandite fata domos.

Ad Io-

Ad IOHANNEM GIZIUM Głogoviensem Sympatriotam & Amicum suum.

Pauperis ingenui quæ sint bona: quæ mala, GIZI,
Divitis, haud nôsti si miser esse times.
Dat tibi securos Paupertas sobria somnos,
Dives & in pluma stertere nocte nequit.
Tota strepit magni parasitis Divitis aula:
In lare convictor paupere rarus erit.
Et tetricus Dives nummos, & computat agros;
Cantat ad exilem Pauper, ovatq́ꝫ focum
Dives vel podagræ est obnoxius, estvé chiriagræ;
Securus morbi Pauper ubique valet.
Quærenda infelix est Dives ineptus ad astrâ;
Astrorum pauper spe sua damna levat.
Hoc quoque nonnihil est, quod Dives cuncta pavescit,
At timor à vacuo paupere vanus abest?
GIZI, *cùm tot sint, vel plura incommoda Ditis,*
Dic mihi, num Pauper sobrius esse velis?

Ad nobilem & reverendum Virum Dominum IONAM SZLICHTINGIUM, cùm ex longo itinere domum reverteretur, gratulatio.

Post susceptarum nunc tædia longa viarum,
Lætamur salvum te rediisse domum,
O tua quot conjunx suspiria traxit ab imo
Pectore, pro reditu prosperiore tuo!
Pro rerum quoties successu nos quoque IONA
Fudimus immenso vota precesq́ꝫ Deo!
Gratia sit Superis, nec erant suspiria vana,
Fusa nec ad summum vota, precesq́ꝫ Deum.

Et tua fida Virum conjunx complexa reversum
Te tenet, ac pleno gaudia corde fovet.
Nosq; revertentem dextraq; animoq; tenemus,
Aspectu læti perfruimurq; tuo.
Viue diu IONA, *cœptosq; resume labores,*
Laudem orna scriptis, eloquioq; Dei.

Ad Magnificum D. ADAMUM GOSLAVIUM.

CVm quo decertas, Mecœnas optime, scriptis,
Apparet magni pectoris esse Virum.
Tanta est ingenio, tanta est fiducia menti,
Vt nulla vinci se ratione putet.
Vt te confutet formas se vertit in omnes,
Victor judicio retur & esse suo.
Iudicet, at lector prudens, rerumq; peritus,
Palmam victori contribuatq; suo.

Ad IOHANNEM HRADECIUM Bohemum, pietate & eruditione eximium Virum, fratrem in Christo carissimum.

TE quoque vis veræ Fidei, dilecte HRADECI,
Quæ nos incolimus jussit adire loca.
Et patriâ & sociis desertis, atque propinquis,
Sangvinis innatus quos tibi junxit amor,
Candide præstare hoc non est res parva, HRADECI,
Id facit una, ferens præmia summa, Fides.
Dulce solum cuivis Patria est, & sanguine juncti,
Sed rebus cunctis dulcior alma salus.
Tædia perferto, jussos tolerato labores,
Et quæ sunt forti spe tua damna leva.

Christus

Christus in hoc ævo tribuit centupla relictis,
Deinde perenne tibi conferet ille bonum.

Ad reverendum Virum D. PETRUM MORZKOVIUM.

IN *quo nunc resides, divinæ Præco salutis,*
Si tibi mutandus fors erit iste locus.
Contigerit tibi, PETRE, *novi nil, namq́ʒ salutis*
Author mutabat sæpiùs ipse locum.
Tantæ sunt inimicitiæ, tantus furor orbis,
Vt nunquam ceßet inquietare bonos.
Perfer, tum pacis spem concipe, PETRE, *futuræ,*
Hîc etiam restant tempora tuta piis.

Ad Magnificum & Generosum D. IOHANNEM MORSTINIUM.

I*ngenuas artes te cognoviße,* IOHANNES,
Quid juvat, & linguas edidiciße duas?
Fœcundam curvo terram si vertis aratro,
Et durum exerces rusticitatis opus.
Multa arcana Dei, promißaq́ʒ, jußaq́ʒ sancta
Quid juvat ex sacris te didiciße libris?
Cùm sis Oeconomus, si vita Politica curæ.
Est tibi, siq́ʒ tibi vivis, Amice, domi.
Publica res Christi, cujus tu civis & ipse es,
Indiget heu! nimiùm talibus illa Viris.
Cur tantum, quod habes, telluri, IANE, *talentum*
Defodis! ah justi Iudicis ora time!

Ad Magnificum & Generosum Virum Dominum CHRISTOPHORUM SIENIUTAM.

Tanta sacri vis est, & tanta potentia verbi,
Ac promissorum tanta cupido Dei.
Qui confidit eis, qui delectatur iisdem,
Inq; sui gremio pectoris illa fovet.
Vt possint Dites rerum, possintq; Potentes,
Ad Christi vilem pertrahere illa gregem.
Quis non æternæ caussâ vitæq; beatæ
Pro nihilo reputet totius orbis opes?
Quis Christi caussâ non sit perferre paratus
Omnia? quis renuat funera dira pati?
Exemplo es, SIENIUTA, *potens, ditissime rerum,*
Hæredes multæ quem comitantur opes,
Nam nec opes, nec Gentis honos, nec blanda voluptas
A Christi potuit te prohibere via.
Conjunctus fidei nexu, cum Gente pusilla,
Ex qua te tantum non pudet esse Virum,
Per varios casus, per tot discrimina sævis
Hostibus à fidei, quæ tolerare soles,
In cælum tendis, sedes ubi fata quietas
Ostendunt, ubi sunt gaudia pura Dei.
Macte esto, SIENIUTA, *ista virtute, maneq;*
Fortis in incepto, propositoq; tuo.
Haud labor ineptus, verùm exitus acta coronat,
Duranti ad finem pulchra corona datur.

Ad Thalamum Magnifici & Generosi Viri Domini ALEXANDRI SIERAKOVII sponsi, & nobilissimæ fœminæ ELIZABETHÆ PRZYPKOVIÆ, sponsæ.

Istud ALEXANDER *jus connubiale secundum,*
Quod nunc cum pulchra virgine lætus inis,

Vt tibi

Vt tibi sit verè, votis exopto, secundum,
Tale, tibi fertur quale fuiße prius.
Blanda sit in vestro semper concordia nexu,
Vna sit amborum mens, sit & una fides.
Quam complexi estis, solam veramq́; professi,
Hujus vos teneat Religionis amor,
Sint sancti mores, sit svavis & integra vita,
Sit sine labe domus, sit sine labe thorus.
Sic vos alterius vitæ spe IOVA *fovebit,*
Suscipietq́; ambos in penetrale suum.

Ad Patronum suum Magnificum Dominum ADAMUM GOSLAVIUM.

Q*Vòd te Mecænas* DOROTHEA *nepote secundo*
Auxit, & augusto sidere fecit avum.
Grator, & ex animo divinum numen adoro,
Te reddat proavum neptis ut ista suum.
Vtqúe tuas reliquas natas serosqúe nepotes,
Florentes videas, filiolumqúe tuum.
Nutriat hunc Iove nata, novem lactentqúe sorores,
Atque suâ doctus donet Apollo lyrâ.
Ex te virtutem discat, fideiqúe tenorem,
Fortunam à summo speret habere Deo.
Tu quoque Mecænas Pilii senis exige vitam,
Integer: ô Christi gloria prima chori!

Ad Magnificum D. CHRISTOPHORUM SIENIUTAM:

O*Btigit usurpare mihi quem lumine nunquam,*
Antiquâ & clarâ nobilitate sate.
Hæc, SIENIUTA, *meas postquam pervenit ad aures*
Præclari facti nuncia fama tui.

Quòd circumventus Sathanæ cùm fraudibus (author
Qui tibi mutandæ Relligionis erat.)
Ausoniam instructis venißes rebus in Vrbem,
Præstandi cœpti, propositiqúe tui.
Hîc tibi (visa mihi res est ea digna relatu)
Gratia propitii contigit alma Dei.
Tunc infelici tibi quam mens omine certo
In patriis fuerat deseruiße focis.
Hanc, SIENIUTA, *fidem, Romæ es complexus, eandem*
Rursus Apostolici quam docuêre Viri.
Felicem! quem descensu retraxit ab Orci
Immensus IOVÆ *commiserantis amor.*
Non cuivis datur inde gradus revocare, sed illi
Duntaxat mirè quem Deus æquus amat.
Perge bonum, SIENIUTA, *Deum redamare vicißim,*
Cui plus dimißum est, plus redamare solet.

In nuptias Magnifici & Generosi Domini GEORGII NIEMIERZYC sponsi, & nobilissimæ Virginis ISABELLÆ SLUPECIÆ sponsæ.

EST quod gratemur, quòd & hoc Ius, inclyte sponse,
Virtuti addideris, connubiale, tuæ.
Tale, quod haud Christum offendit, Gentemq́; sacratam,
Cum qua te una Fides junxit, & unus amor?
Tale, quod offendit nec te quoque: mens tua namque
Et Fidei laqueis, insidiisq́; vacat.
Ambo Deum colitis, juxta sacra dogmata Christi,
Humanæ exosi traditionis opus.
Ambo invisa Deo fugitis simulachra Deorum,
Quæcunque humanæ composuêre manus.

Differitas, tolli nequeat, si rebus in ullis,
Incolumi maneat semper amicitiâ.
Tu sponse annosi tria secula Nestoris æqua,
Sponsa Sybillinæ tempora vatis agat.
Vtq; pares estis, formaq; anniśq; bonisq;
Este pares animis, & pietate pares.

Ad Magnificum & Generosum Dominum GEORGIUM CZAPLIC, Patronum Ecclesiæ Kisielinensis

INter patronos quoniam numerâre GEORGI,
Gloria CZAPLICIÆ *pulchraq; gemma domus,*
Cujus in amplexu residens Ecclesia Christi,
Sub patrocinio tuta, vigetq; tuo.
Hanc tu inter summas dotes numerato coronam,
Istud & immensi muneris instar habe.
Nam rerum Domini sit quando Ecclesia Christi,
Luminis æterni cara pupilla Dei,
Quàm sit grata Deo, si quisquam nutriat illam,
Res ea, non ægrè cernere fortè potes.
Magnates alios oblectent ludicra mundi
Quorum cum mundo postea finis erit.
Hoc generose bono tu delectare GEORGI,
Quod tecum æternùm vivet in arce Dei.

AUTHOR deflet Silesiam, patriam suam.

O patria infelix! tantis exercita bellis,
Sarmatii quondam portio magna soli.
Heu! sentis tibi nunc quanti decessio constet
Ista! tuo quando facta sit ista malo!

Depopulata jaces, terris æquata dehiscis,
Innumeris mœres civibus orba tuis.
Vrbs cincta Oppolium, dederas cunabula quondam
Quæ mihi, ruderibus turpificata gemis.
Templa silent, ludiq; tacent, Astræaq; ceßat,
In vetus omnia sunt pæne reversa chaos
Terra Polona viget. cui si sociata fuißes,
Nobiscum antiquo perfruêrere statu.
Ad tua si poßes primordia prima redire,
Quàm felix iterum patria cara fores.

CONCLUSIO.

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benignè est,
Isto quid dicto verius esse potest?
SIENIUTA, ingratis fecisses si benè nunquam,
O quàm nunc tibi res ista benigna foret!